

*Q. D. B. V.*

DE

VETERI QVIRITIVM FORMVLA  
**COMITER CONSER-**  
**VANDI,**  
PRAESIDE  
**CONRADO SAMVELE**  
**SCHVRZFLEISCHIO,**

PROF. PVBL.

*PVBlice DISPVTabIT*

ANTONIVS SAMVEL LVDOVICVS,  
OHRINGAS HOHENLOICVS,  
*IN AUDITORIO MAIORI*  
ANNO ACADEMIAE SECVLARI  
c<sup>is</sup> I<sup>o</sup>cc II. D. III. EID. FEBR.

---

*VITEMBERGAE,*  
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

COMITIUS CONSER-  
VANDI  
CORRADO SAMUEL  
SCHULTESCHIO  
ANTONIUS SCHWARTZOPACAS  
OVIDIUS HOMINIOLOGA  
VANOCO VIGORIMIA SECUNDARI  
G. H. D. M. D. H. E. S. R.



I.



Leraque priscae ac probae Latinitatis verba ex foro petita, et ab Oratoribus usurpata, Romani sermonis elegantiam servant, qvam I adeo non contaminarunt, qvi negotia fori procurarunt, Iureconsulti, ut quoque in formulis diligentiam et mun-

ditiem posteritati comprobarint.

II. Exempli gratia Licinius Proculus, M. Salvio Othonē imperante, praefectus praetorio, et praecipua auctoritate in iure reddendo praeditus, emendata locutione testatus est, maiestatem Imperii ab inferioribus, aut inaequaliter foederatis *comiter conservari* oportere. Quae formula extat in lege 7. §. I. D. de captiv. et postlim. Comiter, inquit, non, ut legit Gregorius Haloander, communiter, contra fidem vetustae lectionis, et contra sensum verborum legis. Proculi mentio est apud Tacitum Hist. I. I. et I. II. perperam citavit Io. Bertrandus de iuris peritis lib. I. Nihil, qvod miror, de eo tradit in Othonē Svetonius, et commentatores quoque omnes tacent, qvos Tacitum et Svetonium conferre

A 2 opor-

oportebat. Cursim addo de mendoza lectione *Scambus*,  
qvae in hunc Svetonii librum, etiam novissimae editio-  
nis, obrepdit. Nemo Latinorum veterum usurpavit hanc  
vocem, nemo eam latinitate donavit. In meo Sveronii  
codice legitur *Claudus*, non *Scambus*, et ita legi par-  
est.

III. Ab hoc alii fere omnes legum interpretes dis-  
sentient, et Ciceronis testimonio nituntur, cuius verba,  
qvae eam ad rem pertinent, manifesta sunt, atque in  
Oratione pro Cornelio Balbo leguntur. *Adiunctum* etiam  
illud est, qvod non est in omnibus faderibus: *maiestatem po-  
puli Rom. comiter conservent.*

IV. Huius vim vocis declaravit Varro, et con-  
firmavit, idem significare, qvod *bilare ac libenter*. Lib.  
VI. de Lingva Latina. In commentariis verborum La-  
tinograecis exponitur φιλοτίμως, ἐπιδεξίως, nempe in  
gloss. ab H. Stephano et Bonav. Vulcanio editis: in cete-  
ris a Carolo Labbaeo evulgatis additur, ἐπικαματικῶς.  
Qvod respondet Graecae origini χρυσῷ, qvam ipse Var-  
ro exqvirendam suppeditavit. Significatio tamen mi-  
nus instituto convenit, et hilaritatis modum excedit.

V. Significantius aliqvid sensus civilis requirit,  
et plus denotat, qvam verba isthaec simpliciter posita  
prae se ferunt, qvae vulgo merae voluntatis, et liberi  
arbitrii ratione capiuntur. Nam in his officium ineft,  
et obligatio alicuius rei pfaestandae, qvae tamen non  
impedit, qvin populus populum comiter conservans,  
liber maneat, qvae Proculi est sententia, nec rationi na-  
turali, neqve moribus gentium adversatur.

VI. Barnabas Brissonius, sedulus formularum cu-  
stos et vindex, verba Proculi retinere contentus, ex-  
plica-

plicationis causa nihil adiecit, sed verba Proculi leviter mutata repetit, ac scripsit, formulam, comiter conservare maiestatem, foederibus addi consuevit, ut inteligeretur, eum populum superiorem esse, cuius maiestas comiter servari (conservari scribendum est) iubetur, in Lexico Iuris h. v. Neque aliter edidit Simon Schardius in Lexico Iurid. h. v. Ast cavit a mendo Franciscus Hottomannus, et Ciceronis testimonium pro Balbo subiecit, sed verborum sententiam non explanavit: illud recte submonuit, vocem communiter Proculi instituto non convenire, in eoqve mecum Haloandri lectionem improbarit, in commentario de Verbis Iuris h. v. Desiderius Heraldus sui oblitus, pro vocabulo Proculi, comiter, exaravit vocabulum, sedulo, qvanquam in voce comiter plus aliquid expressum esse, haud ignorabat. Recte ceteroquin verba Proculi refinxit, item sine aequo foedere, ubi legendum, sine aequo foedere, ut Proculus cum Proculo in concordiam redigatur.

VII. Verba Iurisprudentissimi, et formularum veterum scientissimi Ciceronis in Oratione, quam pro Balbo habuit, rem ipsam potius, quam vocabuli naturam declarant. Id (maiestatem P. R. comiter conservent) habet banc vim, ut sit ille (populus P. R. ex foederis formula comiter conservans) in foedere inferior, id est, foedere inaequali sociatus. Subiungit Cicero. Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus, quam foederibus uti solemus, imperantis est, non precantis. In antiquissimis enim formulis legitur, conservando. Deinde cum alterius populi maiestas conservari iubetur, de altero silentur: certe ille populus in superiori conditione, causaque ponitur, cuius maiestas foederis sanctione defenditur. Vbi defen-

ditur est idem, quod conservatur. Praeterea dicitur, in  
superiori conditione, causaque, id est, non imperandi, cum  
quod status inaequalis foederis pugnat, sed afferendi sibi  
et tribuendi, quae ex officio societatis inaequalis deben-  
tur. Pergit Orator, in quo erat accusatoris interpretatio  
indigna responsione, qui ita dicebat, comiter esse communiter:  
quasi vero priscum aliquod, aut insolitum verbum interpreta-  
retur. Castrigat accusatoris, cuius nomen subiectet, im-  
peritiam, qui comiter tanquam communiter exponit,  
quod Haloandrum observare decuiisset. Refellens ac-  
cusatorem, arguit una et submonet, vocabulum comiter  
non esse priscum, quippe quod in priscis LL. XII. tabula-  
rum non inveniamus, ut vel hoc indicio cavillari volue-  
rit, et improbitatem ostendere, cum imperitia coniunctam.  
Porro ait. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse  
dicuntur, qui erranti comiter monstrant viam: benigno,  
non gravato: comiter quidem certe, non communiter con-  
venit. Vocabulum esse Ennianum comprobavit Varro,  
post eum Plautus, vel potius auctor vetus Plautis-  
sans in Amphitruone, ubi fictus Sosia ait: Amphitruo-  
nem ita comiter Amphitruo accipiet. Locus Ennii intreger  
extat in fragmento, a Cicerone conservato, quod legi-  
tur in lib. I. de officiis.

*Ut homo qui erranti comiter monstrat viam,*

*Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:*

*Ut nibilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.*

Terentius in Phormione A. III. Sc. 3. adiurit comiter,  
pro adiurerit, quod vulgares libri habent. Faernus  
mavult adiurerit, sed prius illud Ennianum est, et melius  
quadrat. Guietus, Pareus, et Schrevelius Faernum se-  
cuti sunt. Robertus Stephanus, et Forum Romanum pro-  
bam

bam et antiquam Terentii locutionem retinent. Faernus se tuetur auctoritate Donati, sed multis in locis ita interpolati, ut vix referre veterem Donatum videatur. *Adire comiter* in Latio peregrinum est, sed adiuvarare comiter, administrare comiter, appellare comiter, solari comiter, Latina sunt, et ab idoneis scriptoribus usurpatā. Tum vero iuvenes, quos introducit Comicus, Phaedria et Antipho mutuam sibi navant operam, ille pecunia egebat, iste pro eo Getam, ut pecuniam daret, rogabat, atque adeo comiter adiuvabat, et beneficium beneficio reddere cupiebat, idque Geta ipse, quamvis ad dandum difficilis, aequum esse iudicabat.

VIII. Amplius dicit orator. *Et simul absurdā res est, caveri foedere, ut maiestatem populi R. communiter conservent, id est, ut populus R. suam maiestatem esse salvam velit.* Quod si iam ita esset, ut esse non potest: tamen de nostra maiestate, nihil de illorum caveretur. In proposito insistit Cicero, et graviter docet, non agi hic de maiestate utriusque populi, Romani scilicet et Gaditani, cuius exemplum subiicit, communiter conservanda. Vterque enim populus in foedere iniquo, sive inaequali liber manet, et neuter alteri subiicitur, sed quaestionem esse de maiestate alterius populi, utpote Romani, quippe potentioris, eaque ratione superioris, comiter conservanda, ita ut populus Gaditanus, salva libertate, ad quaestam officia populo R. praestanda se obligaret, nec tamen illius imperio potestati que se subiiceret, saltem illi priores in societate partes relinqueret, cuius potentia maior esset, et viribus suis niteretur. Itaque populus comiter conservans alterius populi maiorem potentiam, maioremque imperandi splendorem agnoscit, et officiis

officiis ex foedere inaequali debitū ostendit, praeci-  
puum qvoddam tali populo, qvi vires maiores habeat, ut  
patrono, et, si usus veniat, propugnatori, praesertim  
qvum id in foedere ascriptum est, omnino esse tribuen-  
dum. Non enim per se tantum inaequalis populorum  
conditio, sed imprimis inaequalis foederis pactio inspi-  
cienda, ex eaqve populi ad populum comiter conser-  
vandum obligatio iudicari debet.

IX. Ceterum Gaditanī, qvos paulo post orator  
commemorat, foedere et fide Romanis coniuncti, ci-  
vem habuerunt Lucium Cornelium Balbum, Virum di-  
gnitate et fama inclytum, qvem civitate donavit Pompei-  
us, et amicitiae vinculo sibi coniunxit. Cuius accu-  
sator putabat, non id licuisse Pompeio, qvod foedere Ga-  
ditano, ne id faceret, impediretur. Contra lege Gellia  
et Cornelii, haec potestas data erat Pompeio, ut ius ha-  
beret impertienda civitatis. Si qva enim exceptio in  
hoc foedere continebatur, utiqve per legem a Gellio  
et Cornelio promulgatam sublata, et Pompeio concessa  
est potestas tribuendi civitatem, praesertim Balbo, tan-  
quam praemium virtutis. Reponebat accusator, Bal-  
bum in foederata Gadiūm civitate natum, prohiberi di-  
gnitate civis Romani, vel hoc argumento, qvod popu-  
lus Gaditanus non esset factus populus fundus. Equi-  
dem recte aduersarius dixit, populum Gaditanum non  
ad eam populi fundi conditionem redactum, sed ex eo,  
qvod captiose intendit, non consequitur, neminem ex  
foederato populo ascribi in civitatem posse, nisi idem  
ille foederatus populus factus esset populus fundus.  
Neutiquam ergo repetere civem Gaditanī poterant, ci-  
vem fane innoxium, et de foederato Pop. Ro. insigniter  
meri-

meritum, honoribusque ea de causa auctum, et ideo iure civitatis donatum. Praeterea id approbavit Senatus, ratumque habuit: eo minus irritum reddere populus Gaditanus potuit, quando eius, tanquam inaequalis foederati officium erat, comiter conservare Pop. Ro. maiestatem, et benigne interpretari rem a Pompeio gestam, Senatusque auctoritate et suffragio comprobata. Qvod adeo verum est, ut populus Gaditanus, conditionis suae memor, nullam civi suo in aliam civitatem ascripto litem moverit, et Senatusconsulto Gadbis facto improbitatem accusatoris in Urbe sua nati, et postea Romam profecti, atque a Pompeii inimicis ad hoc incitati, callideque subornati castigaverit, ac digne multaverit, quin et pro homine egregio atque opulento deprecatus fuerit, Romanisque legibus se conformaverit, id quod sane fuit comiter conservatae P. R. maiestatis certum manifestumque signum. Idem ille Balbus nominatur a Strabone *Bαλβης Γαδιτινος*, Geogr. Lib. III. Lucii praenomen a Lucio Gellio, Cornelii a Cneo Cornelio Cossi accepit. Praeter eum Balbi meminerunt Caesar Lib. III. de Bel. Civ. Vellejus Lib. II. Dio Cassius Lib. XLVIII. Plinius H. N. Lib. V. c. 5. et Lib. VII. c. 43. Plutarchus in Cicerone. Duae Balbi ad hunc epistolae extant, altera ordine quartata et vicesima Lib. VIII. ad Atticum, altera nona Lib. IX. ad eundem. Epistola autem, quae nonam sequitur, a Balbo et Oppio coniunctim scripta est ad Ciceronem.

X. His adiiciendum est, populum fundum dici, quandocunq; est autor rei, quae ab ipso abalienatur. Auctor, inquam, qui ius abalienandi habet, atque adeo est instar fundi, in quo illud tanquam in solo inhaeret. Hoc fundamentum abalienationis postulat, ut dicam, Cicer-

ceronem omnino accusatoris mentem esse affectum,  
neque inficiari a sum, qvod fundus sit ab alienandi au-  
tor, neque in hoc argumento, ut putat Franc. Hottomannus,  
servisse causae, sed adversarium vere merito-  
que coarguisse, non tam propter dictionem fundi, quam  
propter malitiam iuris interpretationem. Locutio a  
Sarlinate Comico sumpta est, cuius haec sunt verba in  
Trinummo A. V. sc. I.

Nunc mihi is propere convenientius est, ut quae cum eius  
filio

Egi, ei rei fundus pater sit potior.  
Vbi fundus est auctor approbatorque, sive auctor sub-  
scriptorque. Hoc enim modo nominatur ab Aulo Gel-  
lio sententiae legisque fundus subscriptorque. Noct. Att. Lib.  
XIX. c. 8. conf. l. XVI. c. 13. Sextus Festus Pompeius scri-  
bit. Fundus quoque dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc  
est auctor. Ibidem in notis Antonius Augustinus, et novissime  
Andreas Dacerius. Praeter hos Carolus Sigonius de antiqui-  
tate Ital. Lib. I. c. 4. Adrianus Turnebus Adversar. Lib. IV. c. 12.  
Franc. Hottmannus, Observat. Lib. II. c. 19.

XI. Iam non difficile explicatu est Ciceronianae de-  
fensionis caput, qvod eo spectat, ut populus Gaditanus  
P. R. maiestatem comiter conservet, non ut vicissim  
Populus R. id faciat, et populum Gaditanum eodem  
honore atque officio prosequatur. Aliud in foedere ini-  
quo caustum scriptumque erat, qvod Cicero non minus  
vere, quam prudenter exposuit, et nullam defensionis  
Balbi partem praetermisit. Quare accusator quae situm  
ius civitatis Balbo eripere non posuit, si formulam foede-  
ris tueri voluit, ut certe debuit, propter magnitudinem,  
splendoremque Pop. R. conservandum. Multo minus  
Gadi-

Gaditanis licuit, integrumque fuit, privare civitatis iure  
Balbum, siquidem Pop. R. maiestatem conservare, foed  
erisque partes implere vellent.

XII. Cernitur hic Oratoris artificium, qvod sine  
iuris captione ostendit, contra qvam sentiunt interpre  
tes quidam, et a vera huius capitinis explanatione qvam  
longissime absunt. Liber homo fuit Balbus, et civitate  
Gadium reducta, Romanum migravit, ac domum ibi sedem  
que, animo manendi de legit: tum civis factus, et in Qvi  
ritium numerum ascriptus, pristinam, qvam Gadibus  
habuit, civitatem mutavit. Nihil, qvo minus id fieret,  
obstabat Balbo, nulla, qvin ius civitatis acciperet, lex ve  
tabat, nulla, qvae hanc ei facultatem adimeret, foederis  
conditio, aut clausula deminuens prohibebat, nihil deni  
que Pompeium, qvin beneficium amico tribueret, impe  
diebat, quando id pro auctoritate Imperatorii muneris,  
et per leges id facere poterat, et ut faceret, suffragio et  
assensu Senatus nitebatur.

XIII. Ex his denuo confirmatur, non legendum esse  
communiter, cum vitiosa foret interpretatio, si foedus  
Gaditanum, cuius tabulas desideramus, hanc in senten  
tiā explicandum esset, ut Gaditani simul cum Roma  
nis populi Romani maiestatem comiter conservarent.  
Esto tamen: comiter pro communiter sumptum dica  
tur, Balbus nihilominus erit manebitque civis Roma  
nus, secundum leges populi Romani, qvas si populus  
Gaditanus, repetendo civem, labefactare vellet, utique  
ab officio suo discederet, foederique repugnaret, tantum  
abest, ut comiter conservandi P. R. pactis staret, ut quo  
que in omnia alia abiret. Qyamobrem colligit Cicero,  
et dicere pergit. *Potestne igitur nostra ( nomine P. R. lo  
quitur )*

qvitur) maiestas a Gaditanis benigne conservari, si ad eam  
retinendam Gaditanos praemis elicere non possumus? Potest  
esse ulla denique maiestas, si impedimur, quo minus per populum  
Romanum beneficiorum virtutis causa tribuendorum, (inter  
haec speciatim beneficium dandae civitatis) potestatem  
*Imperatoribus nostris* (summis militiae magistratibus)  
deferamus? Reete hoc adiungit, nec falso arbitra-  
tur, nihil temere quidem fecisse Pompeium, cuius  
auctoritas in militari Imperio summa, et propter  
hanc potestas tribuenda civitatis concessa et lege  
corroborata erat. Rationes affert, qvibus causam Bal-  
bi scite defendit, nec tam ad dicendi copiam, qvam ad  
ratiocinandi subtilitatem spectat, quasiqve telum intor-  
qvet, ut feriat accusatorem. Postea se magis effert, at-  
que elocutionis granditatem, maxime in progressione  
dicendi, ostendit, nihil tamen abiectum et humile, etiam  
qvum tenuiter subtiliterque aliquid exponit, oratione  
complectitur, aut consecetur. Idcirco subiungit. Sed  
quid ego dispuo, qvae mibi tum, si Gaditani contra me dice-  
rent, vere posse dici viderentur? Illis enim repetentibus L.  
*Cornelium*, responderem, legem populum R. iussisse de civita-  
te tribuenda: hoc genere legum fundos populos fieri non so-  
lere. Populus enim Romanus id fieri vetuit, et idem, qvi  
Balbum civem asciverat, negavit Pompeius, et qvi ne-  
gantis vestigia seqvitur Cicero, tertius Balbi defensor, et  
causae viator, foederatos populos non continuo fieri  
fundos, nec cives eorum prohiberi, quo minus in civita-  
tem Romanam recipiantur. *Cn. Pompeium de consili* (bel-  
lici, ad qvod legati et tribani, primorumque Ordinum  
ductores veniebant) *sententia*, civitatem huic (Balbo)  
dedisse, nullum populi nostri (cuius auspicio foedera fie-  
bant,

bant, beneficia autem civitatis permisso populi quoque a belli Imperatoribus tribuebantur) *iussum* (quo haec potestas admatur) habere: itaque nihil esse *sacrosanctum* (sanctione publica, iure iurando simul interposito, sacram) quod lege exceptum videatur. Regula enim est, qva utitur, omne id licere, qvod in foedere et pactione exceptum non est. Si esset, tamen in foedere nihil esse causum, praeter pacem. Formula erat verbis imperantibus concepta: PIA ET AETERNA PAX ESTO. Additum etiam esse illud, ut maiestatem illi nostram conservare deberent. Perinde ac supra foedus Gaditanum haud alia, qvam usitata Romanorum formula conceptum, vel ex ipso Oratore intelligi potest, non optandi aut coniungendi modo, sed imperandi, verba foederis videri conscripta. Similiter atque Graeci hoc imperandi modo in conficiendis foederibus utebantur. Εἰς ἣν τὸς αἱλῆλες ἔσω. Apud Dionysium Halicarnassum de foedere Romanos inter et Latinos isto loquenter. Diu ante eum Polybius foedus, qvod Romani cum Aetolis pepigerunt, tradit. Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΤΩΝ ΑΙΤΩΛΩΝ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΔΥΝΑΣΤΕΙΑΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΤ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΑΔΟΛΩ ΤΗΡΕΙΤΩ. Excerpt. Legatum cap. XXVIII. τηρείτω, inquit, verbis non precantibus, sed imperantibus, cui responder Latinum, conservato. Sic enim latine exponi debet, ex usu Latinorum scriptorum, qvi significantissimo conservandi verbo utuntur, servandi nunquam in hoc ineundorum foederum argumento. Qvorum spectant formulae, qvas Livius ex ultima antiquitate deprompsit in digressione Lib. I. de ritu foederum antiquissimorum instituta. Locus est maxime ad hanc rem idoneus Lib. XXXVIII. II. Imperium maiestatemque populi Romani gens Aetolorum conserva-

to sine dolo malo. Ne quem exercitum, qui adversus socios  
amicosque eorum ducetur, per fines suos transire finito, neve  
ulla ope iuvato. Hostes eisdem habeto, quos Populus Roma-  
nus, armaque in eos fert, bellum pariter gerito: perfugas,  
fugitivos, captivosque redditio Romanis, sociisque. Maius-  
culis ea literis, sed non ex more Romano descriptis  
Briffoniis, neque ita in Codice Livii invenit. Inter-  
dum adiectae sunt foederum clausulae. ID. EI. NE.  
FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. (antique pro QVID)  
OB. EAM. REM. POPVLO. DARE. DEBETO. NE-  
VE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO.  
ESTO. NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD. SE. AGI.  
SINITO In Thesaur. Inscript. antiqu. p. 242. Nonnun-  
quam tamen modus quartus vicem imperantis refert,  
praesertim apud poetas, Terentium, Horatium, et Ver-  
gilium, quod Graeca converudine fecerunt. In legum  
sanctionibus passim quoque isti modo locus est, quum  
coniunctio τελικὸν τι δηλώσα, praeponitur. In Graecis for-  
mulis plerumque ὡς reperitur, quae cum modo infinito iuncta, eandem vim habet, quam modus finitus,  
imperandi sententia constans. Sic apud Polybium ὡς  
παραχρῆμα ἐποιήσατο καταφέρεται νῆας αὐτοδόται πρεστίαν Αἴγαλο.  
Hoc est, verbis in diverso modo idem significantibus,  
νῆας αὐτοδότω πρεστίας Αἴγαλο. Excerpta legat. CXXXVI. Haud  
aliter Livius solet, sive expresse ponat, sive subintelligat  
coniunctionem, ut XXXIII. 30. Eamque in sententiam  
explanare Ciceronem licet, si modum imperantem cum  
Lambino admittere nolimus.

XIV. Redeo in viam, et in explicatione superiori in-  
sistio, atque in disquisitionem vocare pergo, an ullo in Ci-  
ceronis aut Livii loco vox comiter idem, quod commu-  
niter,

niter, significare videatur. De priore negavi, et rationes, qvibus adductus sum, protuli. De Livio scrupulum iniicit Nicolaus Abramus, Ciceronis interpres, et se fulcit carmine Martiano, qvod apud Livium extat. *Apollini*, inquit, *vovendos censco ludos, qvi qvorannis comiter Apollini fiant.* Lib. XXV. c. 12. non XXVI. qvod sive Abramii, sive librarii est mendum. *Comiter* hic debitum Apollini cultus officium notat, qvod eo spectabat, ut res, consilia et expeditiones Romanorum eius ope auxilioque fortunarentur. De sacris Apollini faciendis extat verus Sibyllae oraculum, in quo vocatur *Anthon*, Latonae filius, apud Zosimum Lib. II. c. 6. Commodo igitur retinetur vocabulum, et recte explicatur. Aliqui tamen libri aliam, et satis antiquam, et a Macrobio comprobata lectionem ostendunt. Neque haec interpretatione est aliena, si *communiter* in locum, unde excidit, restituatur. Illud *communiter fieri* dicitur, qvod communis opera, consilio, sententia, aut sumptu fit, ut ad multos simul, non ad unum sigillatim referatur. Sic enim dicunt Latini, *communiter uti*, *communiter poscidere*, *communiter administrare*, apud Ciceronem, Livium, Nepotem, Tranquillum, qvos Iureconsulti Pompeius, Paulus, et Papinianus in foro, et rerum contractarum negotiis seqvuntur. Hoc pacto Livius distinxit locutiones *communiter* et *proprie*: illud promiscue ad Romanos, hoc definite accommodavit ad Quintium civem Romanum. XXXV. 48. Varronianum *communitus* eadem significacione sumitur, sed *archaiscum* redoleret, perinde ac *solemnitus* Livii Andromici, et *publicitus* Lucilii, in obsoletis merito numerantur. Hoc tamen *Comicus* *apxalow* in Amphitruone retinuit, neque id prae-

praetermisit Nonius, non idoneus quidem Latinitatis  
auctor, sed plurimorum antiquae dictorum haud spernendus vindex. In glossis Gr. est κοινή, notione adverbii, ut vulgo tradunt. Revera καὶ ἐλευθερία, ut κοινή scilicet γνώμη, κτίσις, χρήσις. Sicut idem, ratione non absimili, sed contrario tamen significatu. Mendose scribitur in libris, ιδία, pro privatim. Vbi scribendum ιδία. Enallage enim dura, neque apud Dionysium Halicarnassum admittenda. Sic apud eundem, et antiquiorum eo Thucydidem legi debet δημοσία, quod idem a publice valet, non δημόσια, quod in vitio ponendum est. At in numero plurimum, τὰ κοινὰ dicimus, quae pro communibus posidemus, vel quae τὰ πόλεων nominamus, et ideo μετανομικῶς apud oratores Graecos πόλιν civitatem, seu rem publicam notant. Sicut τὰ δημοσία, τὰ δῆμος, nempe πράγματα, χρήματα, videlicet illa, quae sunt populi, speciatim Romani, apud Theophilum vestigiis Graeci Romani iuris insistentem. Contra τὰ ιδία, quae propria et privatorum bona intelliguntur, scilicet τὰ ιδίατα, sive τὰ τῆς κεκτημένης ιδία, id est, privatim possidentis propria, atque adeo bona singulorum. Tantum addo ἐπίκοινον πρᾶγμα rem communem quoque a legum peritis dici, ut est apud Constantiū Harmenopulum.

V. πρόχειρον νόμουν, βιβλίον δέντερον, τίτλ. a. π. vi.

XV. Restat ut dispiciam, rectene, an secus vocabulorum explanatores doceant, usu Latinorum ita receptam esse hanc orationis partem, ut cum Graecorum voce, dolum malum removente, congruat, et uno eodemque significatu capiatur. Simon Schardius in eam ivit sententiam, quam his verbis in Lexico, quod edidit, iuridico confirmavit. Est comiter sine dolo male et frau-

et fraude, et ἀδόλως, ut Polybius vertit ἐν εὐλογίᾳ. Alias  
comiter est hilare et lubenter. Existimavit ille historiae  
et iuris consultus Vir, vocabulum hoc priori sensu in  
foederibus accipiendum. Qvod ab eo mutuatus est  
Io. Ludovicus de la Cerdā, qvi etsi multa debet Roberto Stephano, tamen hoc aliunde sumpsit, in novo et locupletato Calepino, qvi Ciceronianum comiter ex foederum, qvae Livius commemoravit, formulis, clausulisque explicandum duxit. Dolus eqvidem vox mediae significationis est, et nunc dolum bonum, nunc malum denotat, in quo Latini, et cum primis Iureconsulti Graecos sequuntur. Plerumque tamen fallaciam significat, Ciceronis etiam Liviique auctoritate tantum de fraude et malitia pronunciatur. Sine dolo malo proprie est foederum formula, et commutata dictione, idem notat, qvod sine fraude, apud Livium L. I. c. 25. Qvamvis accurate loquendo, fraudis nomine appellat malitiosam foederis interpretationem, qvum sola foederum verba sine earum sententia spectantur. Qvisquis enim id facit, in fraudem foederis facere putandus est, perinde ac in legum sanctionibus venire usu solet, ubi non idem est, contra legem facere, et facere in fraudem legis, qvae in foro Qviritium, auctore Paulo, recte distinguntur. Inquinata fuit antea Livii scriptura, cum eodem in Libro c. 47. legeretur, muliebri dolo, pro m. dono, refragantibus Libris MS. et repugnante scriptura codicis Buslidiani, quem vidit P. Nannius, et duorum, quibus ego nitor, Palatinorum. Accedit ratio loquendi Liviana, qvae eruditos, et in hoc praesertim genere doctrinae exercitatos fugere non potest. Dolus ceteroq; in

C

latius

latius patet, quam fraus, sed in legibus, qui dolo sciens  
facit, dolo malo facere intelligitur, ob eamque causam,  
praetoris formula hanc adiectionem habet, quum dat fa-  
cultyatem iure experiendi, ut quis in integrum restituatur.  
Quae est actio de dolo malo, *in Romani iuris pandectis hoc*  
*titulo prodata*, quamvis et sine adiectione actio de dolo,  
eadem constante sententia, dicatur. Ut in capite, quod  
ad praedictam actionem spectat, Ulpianus, sic in lege  
Cornelia Marcianus dolum malum rotidem verbis, in  
diverso iuris argumento, expressit. Scaevola dolum  
malum cum fraude iunxit, in pandectis *de legis lib-*  
*bro tertio*. Fraus per se mala est, et crimini datur,  
dolus Graeca loquendi conseruidine a vicio quoque se-  
iungitur, quod Ulpianus praeclare docet, et Latinorum  
una testimonii confirmare licet. Livius ex anti-  
quis formulis ait: *Capitalem fraudem frausi. L. XXIII. c. 14.*  
Ante eum Plautus *Afinar. A. II. s. 2.* Inde repetunt et ex-  
plicant Festus et Nonius, vocabulorum veterum expla-  
natores. Poëtae fraudis nomen laxius sumunt, imita-  
ti Graecos, qui nihil angustius *άνάτη* usurpant. Sic  
Tacitus *A. II. 17. Virtus, seu fraus eadem Ingiuonero effu-*  
*gium dedit. A. XII. 33. Sed astu, tum locorum fraude prior.*  
Dictio poërica, et Vergiliana gemina. *Aen. IX. 397.* Nam et  
peritia locorum ad soleritiam agendi, et ad artes fallendi  
hostis pertinet. Astus vocabulum pariter in *poëticis* nu-  
merandum est, quum de astutia dicitur, nec Taciti  
exemplum movet, cuius ratio loquendi plerunque est  
*Poëtica* et singularis. Quo minus de Fabio inclinantis  
aevi Rhetore in praesens labore. Inde liquet, fraudem  
malam perinde a poëtis dici, ac in prosa dolum malum.

*Trucul.*



*Trucul. A. II. sc. 2. v. 43.* Apud eundem, ut putant, astus  
pro nomine adiecto sumitur, et idem significat, qvod  
astutus, callidus, et dolosus. Poenul. A. V. sc. 4. v. 80.  
*Sine animo astro*, id est, sine animo vafro et fallace, ut ex-  
ponit Cuiacius. Nemo alias hanc loqvendi licentiam  
sibi sumpfit, ne Terentius qvidem, in *archaismis* quoque  
parcior, id sibi indulxit. Integra loqventis Adelphasii  
sententia est haec. *Ita stupida sine animo astro*, id est, ani-  
mo ita stupore oppresso, ut consilii non sint compos.  
Anxii qvidam et ambigui nihil definire audent. Locus,  
ad quem respicit Robertus Stephanus, nihil huc facit, qui  
extat in *Trucul. A. IV. sc. 4. v. ult.* Ibi magno codicum con-  
fensiū legitur: *astus* (non *astis*) *confectum fallaciis*.  
Notae veteres dolum malum ita signant. D. M. et D. M. L.  
Sertorius Vrſatus, Gratiōsum Epidauritam fecutus,  
perperam explanavit has notas D. M. M. L. *Dolum malum*  
*multatur lege*. Explanare debuit. Dolum malum multant  
leges. Sicut vero Latini dolum malum, ita Graeci *κακὴν*  
*τέχνην* vocant, qyoniam *τέχνη* est ex genere eorum, quae  
in bonam, malamve partem accipiuntur. Sophocles  
dicit *ἐν τέχνῃς πράττειν κακῆς*, qvod Demosthenes *κακοτε-*  
*χνῖν*, et *κακεγένειν*. Graviter Thucydides *τέχνην* per se  
positam, de arte fallendi et vitio intellexit. Egregia  
funt, et significantius haec declarant verba gravissimi  
scriptoris, quae ad foederum sanctiones pertinent, et  
qvincto historiae libro continentur. *Δικαίωσις, καὶ αἰθλα-*  
*βῶς, καὶ αἴδελως, καὶ τέχνη, εὖλοι μηχανῆς οὐδεμιᾶς*, in qvibus  
praeterquam qvod videamus vocabulorum luculent-  
tam *ἐπεξήγησιν*, Servii quoque et Labeonis rivos ab his  
fontibus ductos, et in definitionem doli mali deriva-  
tos, facile animadvertamus.

XVI. Longius, qvam fieri oportuit, digresso redeundum est denuo in eam, unde deflexi, semitam, ut instituti rationem habeam, ac promisi fidem exolvam. Insignis autem, et in usum meum transferendus est Plauti locus, ex Comoedia, qvae Rudens inscribitur, A. I. sc. 5.v. 27. et 28.

Verum, qvicqvid est,

Comiter fiet a me, quo nostra copia valebit.

Sensus est, omnia, qvae potero, et qvoad vires meae ferent, ex officio comitatis libenter et prompte liberaliterque praestabo. L. Carrio legit: *qvod mea copia valebit*. Vulgati complures: *quonosfra copia valebit*. Quidam: *quonunc copia valebit*. Perperam Lambinus, et ante eum in Italia alii, ne Aldo quidem excepto, *quonon copia valebit*. Erroris causam ex imperitia legendi codices ortam non temere existimavit Carrio, cuius et Gvilielmilectionem tuentur Ianus Doufa et Gruterus, quem sequuntur Taubmannus, Boxhornius, et Buchnerus. Qvod vero Comicus dixit *comiter*, de comi officio intelligendum est, qvod praestatum se recepit anus Plautina, qvale Caesar iactat apud Phaedrum *fablea XXXVI*. Qvod come officium cum foederato potentiori exhibendum est, cum cultu qvodom et reverentia coniunctum existimari debet. Taciti dictio est, *comitate collere*; sed nimia comitas apud eundem in vitio est, praefertim qvum dirigitur ad viles et sordidos homines. *Annal. II. 55.* In Principe mansuetudinem et clementiam declarat, qvam in Augusto laudent scriptores. Is enim *summa comitare adeunium desideria* exceptit, ut est apud Tranquillum in Aug.c. LIII. coll. c. LXXIV. Qvem primis Imperii annis Nero fecutus, neque *clementiae*, nec *comitatis* exhibet ullam occasionem omisit, apud eundem in Nerone c. X. Idem tradit, *coenam exquisitissimae comitatis* ab Ottone datam, c. III. Nec tantum ad facilitatem morum, sed etiam ad liberalitatem significandam adhibetur, qvod constat ex Trinummo Plauti. Tacitus, ut legit Acidalius, voces *comiter* et *liberaliter* coniungit, *bif. II. 19.* Speciose magis, qvam auctoritate veteris scripturae. Inde fit, ut comis pro effuso liberali et prodigo sumatur. Trinum. A. II. sc.

sc. i. v. 24. Qvo pacto nec comitas se iungitur a vitio, et prodigalitas vocatur. Ibidem A. II. sc. 2. v. 75. Hinc sumpit Tacitus, Vitellii indeolem describens, Hist. I. 52. Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena. Iustinus proprie officii comitatem nominat, qva Alcibiades sibi conciliavit Tissafernem, Darii praefectum Hist. V. 2. 6.

XVII. Qvamobrem dictio *comiter* vocabulis aientibus explicanda, et ex officio, qvod potentiori foederato debetur, aestimanda est, sic tamen, ut haec societas, foederisq; coniunctio neutiquam de populis in amicitiam et fidem, sive in fidem atqve in clientelam, multo minus in ditionem receptis intelligatur. Qvae vulgo confundi videoas, qvod veteres foederum formulæ ex moribus potius ho diernis, qvam ex Qviritium instituto consuetudineque antiquissimorum temporum iudicantur vulgo et intelliguntur. Populi liberi suis legibus utebantur, a domesticis magistratibus regebantur, neq; armis vici, neq; in provinciam redacti, his atq; horum similibus summae potestatis indicis ab aliis, speciatim qvoq; populis fundis, de qvibus nuper Ismael Bullialdus scite scis et literate tradidit, distinguebantur. Illud recte admonuit Hugo Grotius, in hac, qvam exposui, formula inesse inaequalis populorum maiestatis apertissimam certissimamq; significationem, eamq; ex antiquitate et, ut arbitror, præcipue ex Cæsare, et accuratae, et emendatae Latinitatis, et exquisiti iudicii scriptore repetendam.

XVIII. Ne longior sim, breviter strictimq; admonebo, vocem *comiter* esse aliquando notam sedate placideq; loquentis. Qvo significatio bis legitur apud Tullium, semel in lib. I. de Oratore, ubi Scævola et Crassus eruditos invicem sermones habent. *Tum Scævola comiter, ut solbat.* Comiter, scilicet, inquit, et respondebat Crasso, humaniter et sedate, seu ut Herennianus Rhetor dicit, mansvete. Iterum in lib. I. de Natura Deorum. Vbi Cotta disputans Velleum confutat, et similem in modum loquitur, cum verbi defectu,

*ellipsin* Grammatici vocant. Tum *Costa comiter, ut solebat.* Praeterea legitur in Verrina et Coeliana orationibus: In illa, *salutabat benigne, comiter appellabat unumq[ue]mque.* id est, humaniter et urbane. In hac, *cum senibus graviter, cum iuveniente comiter vivebat,* id est hilariter et iucunde. Crassus apud Plinium ait, *se in domo comiter habitare,* id est, liberter, tanquam in domo hereditatis iure ad se delata, et propter loci amoenitatem, propterque vicinas arbores ad prospectum iucunda. Nisi malis exponere de habitandi commodeitate, quae significatio apud Latinos non est usitata. *H. N. lib. XVII. C. 1.* Tacitus ait, *Comiter administrare provinciam, Hist. I. cap. 13.* hoc est, regere aequo, mitique imperio, quod non grave est provinciis, neque intolerandum. Ennius alio in loco, cuius recordari in mentem venit, qui supereft in fragmentis Annalium, scripsit, *Comiter impetrare,* id est benevole et liberaliter. Sic Plautus in Poenulo *A. III. se. 6. v. 10.* *Fatum a vobis comiter,* sensu non alio, et in Comoedia Rudentis paulo ante explicato. Horatius *L. I. satyr. 10.* vocat *Comis libellos,* ex lege scripturae veteris, quam numi et inscriptions, et manu exarati codices firmant, id est, comeis, quae ratio scribendi recentior est, sive ut postea locuti sunt, comes, nimirum facete et hilariter scriptos. Ita *Lambinus in b. locum, ex eoque Adamus Durrerus in libello de particul. LL.* Idem et cum duce suo exponit, comice, significatu non abhorrente, originisq[ue] indicium retinente. Qyamvis aliqui haud accuratas derivandi rationes conficiant, qui a Graeco πολιμη νόστιος deducere hoc malint. In Phaedri Indice Κόσμος scribitur, quod priori originem praebet. In glossis qvidem alterum exponitur per alterum, sed etymi ratio ita non constituitur, nec Donatiauctoritate, ad quam Nicol. Rigaltius respicit, ab sententia dimovemur, qui sciamus, veteres ἐν κώμοις Φιλοφρονεύεις exitisse. In antiquioribus Callepini editionibus *comiter* explanatum est, per vocabula *graviter, mansuete,* quorum prius non quadrat: alterum vocabuli vim non exaequat, nec universē declarat. Graecum

Φίλο-



Φιλοφρόνως, quo utuntur Attici, aptius est et accommodatus. Idcirco verbum Φιλοφρονεῖθαι recte per dictiōnēm comiter accipere explicatur apud Atticissimum Xenophonem Cyriāed. III. Aliqvi facete exponunt, Horatiū testimonio se tuentes. Sed is nec proprie, et significatu angustiore sumpsit. Hinc sibi indulget explanator Horatii Lambinus, et facetum exponit comem, non profac orationis usū, sed poetico, et speciatim Horatiano, lib cit. sat. 6. Tantum hoc dictis subiūcio, comiter habere, non dixisse idoneos scriptores, quo recentiores plerique utuntur, nec analogia et ratio eos desituit, nec habendi notio in tam amplo verbi significatu repugnat, et sic loquentes de obiecta barbarie purgat, sed auctoritas Clasicorum deest, et solennis Qviritium formula hoc, privilegio quodam antiquitatis, praesertim in tali argumento loquenteribus, iniungit. Grotius quidem formulam de maiestate comiter colenda usurpavit, quem Taciti, cuius imitandi studio tenebatur, exemplum defendit, qui comitare colere dixit. A. II. ss. 1. Grotii locus extat I. B. et P. lib. II. c. 15. n. 7. Ex his intelligi necesse est, Themitanos, qui in amicitia et fide populi Romani fuerunt, non fusile ex numero eorum, qui populi Romani maiestatem tantum comiter, sed etiam sine dolo malo, et cum arctiori officiorum clientelarum nexu conservarent. In Verrina V. I. apud Ciceronem. His S. P. Q. R. Vrbes, agros, legesque suas reddidit, nec tamen socii pleno iure liberi erant, idque Verre in Siciliam missio, experiebantur. Ne Siculi quidem meliori conditione erant, qui populo Romano decimas dabant, et tantum frumenti, quantum is veller, vendere tenebantur, ut ex eodem constat. De Mamertinis liqvet eosdem in praefundi muneris conditione reliktos, id quod ex VII. Verrina licet cognoscamus. Fuerunt ergo liberi, sed non liberi et immunes. Ab his diversi erant socii vecligales, quibus certum vestigial imponebatur: reliqui ab illis stipendiarii dicebantur, quorum deterior erat conditio, quibus pro temporum ratione tributa imperabantur, et hi propius ad servitutem accedebant, non tamen pror-

prorsus desinebant esse liberi, neque in provinciam, quae  
vera servitus nota erat, redigebantur. In veteri Gallia Se-  
nones, salva sua gentis libertate, in fide Aeduorum erant.  
*Caesar de B.G. VI. c. 4.* Horum adeo clientes erant, et hi  
tanquam patroni et defensores clientum, pro illis apud Cac-  
farem deprecabantur. Eodem patrocinii (vulgo protectio-  
nis) iure Rhemi pro Carnutibus se interposuerunt, et de-  
precati sunt, teste eodem. Sic Bituriges in Aeduorum, et Al-  
bicos in Massiliensium fide antiquitus fuisse, tradit: de illis  
quidem *B.G. I. VII. c. 5.* De his *B.C. I. I. c. 34.* Memorabile de  
Macedonibus exemplum attulit Livius, quibus concessa est  
libertas, sed deteriori conditione, ac enumeratis Gallorum  
populis, quanquam et horum aliqui meliorem societatis suae  
statum cupiebant. *B.G. I. VI. c. 12. fin.* Docet enim locuples rei  
gestae auctor Livius, Macedones, devicto Perseo, tributum  
pendere iussos, sed dimidium eius, quod ante Regibus peper-  
dissent. Non ergo tota his libertas eiepta, sed immunita est, po-  
testasque populi legibus circumscripta, quae fuit infima socio-  
rum conditio, sed a statu populorum, in provinciam, sive in di-  
tionem redactorum longissime adhuc distabat, saepe tamen no-  
mine societatis, imago tantum et libertatis umbra remanebat.  
Contra Batavi, Romanorum foederati, tributorum exper-  
tes erant, et arma illis suppeditabant, cetera liberi, fratres  
et socii dicebantur. *Tacitus H. Libr. IV. cap. 12. et 17.* Sic et Gal-  
lis Aedui Romanorum fratres dicti, apud eundem *Annal XI.*  
*cap. 25.* Graeci distingunt ἑλευθερῶν et ἀλευτεγγυητῶν, quan-  
doquidem libertas non semper cum immunitate sociis data  
est, quod confirmavi exemplis. Sed Ilienses et liberi declara-  
ti, et socii amicique Romanorum dicti, et ab onere immu-  
nes facti, auctore Livio XXXIX, 39. Quod in statu, rerum sum-  
ma ad unum delata, reliqui sunt et confirmati, testibus Appi-  
ano et Strabone. Quod Iliensis Romanorum, id Gadita-  
nis Poenorum consanguineis, et ducta ab urbe Tyro Colonia,  
in Hispaniam profectis, ob fidem et amicitiam, Roma-  
nis integre servatam, evenit.

5i 2149

ULB Halle  
002 410 087


3



56.

V218

VOMA



**Farbkarte #13**

